



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt XI. a Idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

2.

d *Requisita & habita.*) Quia munus prædicandi proprie ad Episcopum spectat, ut probavi in *cap. inter cetera, de offic. ordin.* vel ad eos, quos ipse elegerit, ut dicemus in *cap. excommunicamus*, §. qui vero, de heretic. & docent Barbofa de potest. Episc. alleg. 76. Solorzanus tom. 2. de jure Indiar.

lib. 2. cap. 18. num. 16. & ex hoc textu decisum fuisse quæstionem in supremo Indiarum Senatu emergentem de Patribus Societatis Jesu intendentibus tantum prædicare verbum Dei apud Japones, refert idem Solorzanus lib. 3. cap. 18. num. 18.

CAPVT XI.

a Idem.

Significavit nobis tua fraternitas, quomodo aliqui civium tuorum in ^b Alexandriam valeant proficisci pro recuperandis concivibus suis, qui illic in captivitate tenentur: hæc arbitramur possibile fieri, dummodo nihil in mercibus, vel alio modo secum illic deferant, unde possit Sarracenis, excepto redemptionis articulo, aliquod commodum, vel subsidium provenire: quod etiam coram te prius juramento firmabunt. Illi quoque, qui post treugam in transmarinis partibus factam cum commercio Alexandriam adiverunt, si detulerunt merces prohibitas causâ ^c lucrandi, excommunicationis vinculum non evadunt: similiter & illi, qui in personis propriis non euntes, merces eò per alios destinarunt. Ad ultimum illos, qui juraverunt se amplius in terram Sarracenorum cum mercibus non ituros, nisi pax esset inter Christianos, & ipsos, & post ^d treugam factam venerunt illuc illa conditio de pace, vel de treuga habenda ab excommunicationis vinculo non absolvit.

NOTÆ.

a *Idem.*) Clemens III. videlicet, ut exprimitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* etsi non constet, cui Prælato missa sit præfens Decretalis.

i. ^b *Alexandriam.*) Alexandria Metropolis est non solum Ægypti, verum etiam Thebaidis, & Libyæ, quæ Ægypto adjacent, ut dicemus in *cap. antiqua de privil.* temporibus Clementis III. occupata erat à Sarracenis & quia bellum in his

partibus pro recuperanda Terra sancta tunc gerebatur, ideo plures captivi in his provinciis à Sarracenis habebantur.

^c *Lucrandi.*) Quia in hac prohibitione non attenditur animus, sed effectus, si videlicet validior redditur inimicus, l. 4. C. qua res export. *extravag. Multa, hoc tit.* pluribus relatis docet Hermosilla in l. 2. r. tit. 5. part. 5. num. 3. & 10.

^d *Treugam.*) Treuga quid sit, & quatenus distet à pace, exposui in *cap. 1. de treuga, & pace,*

CAPVT XII.

a Clemens III.

Quod olim præceptum fuit, & c. *Et infra:* Sanè licet hoc fuerit in Lateran. Concilio districtè inhibitum, nos tamen de consilio fratrum nostrorum omnes illos excommunicationi supponimus, qui iam amplius cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel per se, vel per alios, navibus, seu quocumque alio ingenio eis aliqua rerum subsidia, seu consilia impenderint, quamdiu inter vos, & illos guerra duraverit. Vestra igitur disc. mandamus, atque districtè præcipimus, quatenus nec per vos, nec per vestras naves, nec alio quocumque modo, aut ingenio eis mercimonia, consilia, seu alia subsidia transmittatis, ne si fortè aliqui in suâ malitiâ indurati, secus agere præsumpserint, non solum ipso jure incidant in excommunicationem illam, verum etiam illi iram Dei viventis incurrant.

NOTÆ.

a *Idem.*) Clemens videlicet III. ut hebetur in

cap. 6. hoc tit. in 2. collect. & commentarium dedi supra in cap. 1.